

eam vix videre potero, permittas, ut rogem, vt schedulam adpositam cum Tuis notatis conferas, quod si

1.) plura habeas *genera*; aut

2.) alio *ordine*; aut

3.) sub aliis *subdiuisionibus*; ea vt correcta ad marginem tantum notata in ea schedula beneuole transmittas, oro obtestor. Vendere volunt *Raji historiam plant.* in Fol. an iudicas eam mihi necessariam? Quodsi me quacunque in re uti posses, inuenies me semper ad nutum Tuum quam paratissimum. Vale.

*NB.* Vt audio, vult D. Lawson crastinas excursiones ad praedium Cliffortii dirigere; dixi, vt praëviso eo, facere queas, quid velis.

Utanskrift:

*A Monsieur  
Monsieur Linnaeus  
Docteur en Medecine*

à

*by myn Hr Cliffort. Hartekamp.*

Linn. Soc., Vol. I: 391 – 392.

Brefven Nr 126–138 ha ej kunnat närmare dateras. De flesta torde tillhöra tiden slutet af April till Augusti 1737; ett och annat möjligen tiden efter den 6 Augusti. Ordningen brefven emellan är ej heller så säker.

<sup>1</sup> F. B. = Linnés *Fundamenta botanica* (Amsterd. 1736).

<sup>2</sup> M. C. = Linnés *Musa Cliffortiana* (Lugd. Bat. 1736).

127.

Fautori suo Optimo  
S. P.

Ioannes Bartsch.

Accipe quas Tibi reddo lubentissimus, grates summas pro responsionibus Tuis ad mea quaesita, quibus admodum contentus sum, simulque vidi aequiuocam prolificationis vocem me detinuisse hactenus, quod Tuam mentem percipere, vt optaui, non potui, quod probe iam intelligo. Domino Cliffortio me etiam atque etiam commendes, rogo; locutus sum cum Bibliopola de Indice desiderato, qui promisit, sese examinaturum omnia, vtrum habeat Indicem Indicis solum, nec ne, ego interim eum vrgebo, vt quantocyus, si solum habeat, eum transmittere possem, promisit se cras mihi responsurum. Cur Kramerus non secum sumserit Exemplaria Florae